

plant regnum quod eis paratum est ab origine mundi. Hæc Bernardus. In quibus verbis id advertendum est, quod ait sanctos non percipere regnum quod eis paratum est, donec compleatur numerus fratrum. Sed manifestiora multo sunt quæ subjungit, nam paucis interjectis, exponens illud Apocal. cap. 6. *Vidi sub altare Dei, &c.* sic ait: „ Porro altare ipsum de quo nobis habendus est sermo, ego pro meo sapere nil aliud arbitror esse, quam corpus ipsum domini Salvatoris. Credo autem quod & ego super hoc sensum ejus habeam, præsertim cum audiam eum in Evangelio promittentem: (*Matt. 24.*) *Ubiunque fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquila.* Interim ergo sub Christi humanitate fecerit sancti quiescent, in quam nimirum desiderant etiam Angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Numquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis nedom superare? Quoniam igitur modo super altare dixerim eos exaltandos, qui nunc sub altari quiescunt? et visione utique, & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis filius (ut pollicitus est) se metipsum, non in forma servi, sed in forma Dei: ostendit etiam nobis Patrem, & Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: *Quoniam hæc est vita æterna: ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Jesum Christum, (Joann. 17.) & in eis (quod non est dubium) etiam spiritum utriusque.* Hæc utique Bernardus. Ex cuius verbis luce clarior constat, illum sensisse sanctorum animas ante diem iudicii in sola visione humanitatis Christi quiescere, & post diem illum fore exaltandas usque ad visionem divinitatis. Precor hic hoc loco citasse, ut illorum gloriam, & honorem de hac occasione, vel tantillum minuerem: absit enim a me tam malevolus animus: nam etsi id optarem, tantus ego non sum, ut id assequi possissem, præsertim quod (ut proxime supra admonui) Ecclesia illo tempore nil umquam diffinierat: quapropter liberam tunc illis fuit sic citra hæresis labem sentire. Sed ideo istorum sanctorum dicta hoc loco apposui, ut lector admoneretur, ne si illa in illorum operibus legeret, illorum sententiam incautus sequeretur. Si autem aliter illos quam ego existimo sensisse altunde constiterit, precor lectorem, ut me magis inscium, & ignorantem, qui illorum dicta non intellexerim, quam malevolam censeat. Sed jam opus est ut ostendamus animas sanctorum, quæ ex corporibus purgatae discedunt, aut post corporis dissolutionem alibi purgatae sunt, esse jam beatas, & clare Deum videntes. Primum omnium illud profero ex Psalmis testimonium, ubi Propheta ad Christum loquens (*Psal. 68.*) ait: *Ascendisti in altum, captisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Quæ verba beatus Paulus in epistola ad Ephesios repetens, cap. 4. ait: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Quid aliud erant iusti in sinu Abraham detenti, quam captivitas quædam? Hos enim hic Paulus Prophetam imitatus, captivitatem dixit, eo locutionis modo, quo militiam dicere solemus eos qui militant. Hos itaque iustos, qui à demone propter primi parentis peccatum capti tenebantur, Deus sua morte liberavit, & in aliam dulcem, & optabilem captivitatem transfudit, ut sicut antea à diabolo captivi tenebantur, cui aliquando servi erant, sic postea à Deo capti sint, ut illius serviant iustitiae. Nam propter hoc ipsum (ut arbitror) captivitatem

ipsam dixit captivam, quia felici, & desiderabili captivitate sic detinentur in gloria, ut sicut antea non licebat illis ab inferis repedare: sic etiam modo non sit illis liberum ab illa beata vita, vel ad modicum divertere. De hac igitur captiva captivitate Propheta loquens, ait: *Captivam duxit captivitatem.* Sed quomodo duxit? Profecto in nullum alium locum duxit, quam in illum, in quem ipse ascendit: quoniam ipso ascendente secum duxit. Ascendit autem in caelum: ergo in caelum duxit captivam illam captivitatem. *Ascendens (inquit) in caelum, captivam duxit captivitatem.* Nec in caelum ducuntur, ut ibi sine Dei visione maneant, pro qua tot sæcula ingemuerant. Nam alioquin quod esset illis solatium, aut quam meliorem haberent conditionem per Christi mortem iam redempti, si solam locorum transmutationem haberent? Cum ergo in caelum, quo ipse ascendit, illos duxerit, in beatam utique vitam, quam diu desideraverant, transfudit. Sic enim beatus Hieronymus in Commentariis super Psalmos, exponens illum versum, ait: „ Caelum, rum excelsa conscendens, eos qui in captivitate diaboli tenebantur, absolvit: ac post se tamquam captivos deductos æternæ vitæ restituit. Hæc Hieron. Præterea illud est manifestissimum, quod Salvator noster in cruce pendens, latroni se illi commendanti dixit: (*Luc. 13.*) *Hodie mecum eris in paradiso.* Si animæ purgatae non vident Deum ante diem iudicii, quis est ille paradysus, in quo simul cum Christo illo die latronis futurus esse promittebatur? An forte in campis Elysiis, aut in insulis fortunatis illum detineri dicemus? Absit hoc à fidelium cordibus. Non est enim verosimile, ut Salvator noster, qui legem spiritualium jam dederat, & suo ore prædicaverat, & illam tunc sua morte confirmabat, ad terrenas veteris legis promissiones nos revocaret. Spiritualia nobis promisit, regnum quippe caelorum: & hoc ipsum est quod nunc appellat paradysum, cum latroni ait: *Hodie mecum eris in paradiso.* Deinde in posteriori epistola ad Corinth. cap. 5. Paulus adhortans illos ad labores omnes pro Christo tolerandos, etiam usque ad mortem, sic ait: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habebimus domum non manufactam, sed æternam in caelis.* Quæ verba interpretans Anselmus in Commentariis super epistolas Pauli, sic ait: „ Prædicatores Ecclesie postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia (sicut antiqui Patres) caelestis patriæ perceptione discurrunt: sed mox ut à carnis colligatione exeunt, in caelis, levi sede requiescunt, sicut in hac sententia demonstratur. Non enim dicitur: habebimus domum æternam in caelis, sed habemus: quia videlicet protinus habetur illa domus, ex quo ista dissolvitur. Prius autem quam redemptor noster morte sua humani generis peccata solveret, eos etiam, qui caelestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt: non ut poena quasi peccatores plegeret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum interfecti, suo mediatoris adveniret, ab ingressu regni reatus primæ culpæ prohiberet. Nunc autem perfecti quique mox in regnum suscipiuntur. Hæc tamen Anselmus. Rursum beatus Paulus Philippensibus scribens, cap. 1. ait: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* At inane esset, & inutile hoc desiderium, si ipso mortuo anima nondum posset ad caelum pervenire, in quo constat Christum esse. Cupit ergo dissolvi, quia sine ulla hesitatione credit statim post suam dissolutionem ad Dei visionem pervenire.

Un-

Unde beatus Ambrosius in Commentariis hæc Pauli verba pertractans, ait: „ Habet enim desiderium excedere, & cum Christo esse, multo melius æstimans, ut jam præsens sit apud Deum, ut exoptatis, & promissis fruatur. Hæc Ambrosius. Ex cuius verbis constat sanctos, statim post mortem sui optatis & promissis. At visio Dei, & optata & promissa est, immo maxima omnium quæ nobis promissa sunt. Et illud est expressius quod in Apocalypsi dicitur: (si tamen iuxta veram sanctorum intelligentiam sumatur) ubi de animabus eorum, qui propter verbum Dei interfecit sunt, & sub altari Dei clamant, B. Joannes loquens, cap. 6. ait: *Et datae sunt illis singulae stolae albae, & dictum est illis, ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleverint conserved eorum, & fratres eorum, qui interfecit sunt, sicut & illi.* Quæ verba pertractans beatus Augustinus homilia sexta super Apocalypsim, ait: „ Aram Dei Ecclesiam dicit, sub cuius oculis martyres effecti sunt: & licet animæ sanctorum in paradiso sint, tamen quia sanguis sanctorum super terram funditur, sub Ara clamare dicuntur. Hæc Augustinus. Et Ambrosius Ansbertus libro quarto super Apocalypsim hæc eadem verba pertractans, ait: „ Quid itaque hoc loco per albas stolas, nisi merces baptismi, nisi præmium martyrii, nisi retributio malorum, nisi gaudia caelestis patriæ designantur? Ubi etiam intelligimus, quia sanctorum animæ, quæ nunc singulas stolas acceperunt, binas quandoque accipient, id est, dupla gaudia. Ante resurrectionem quippe stolas singulas accepisse perhibentur electi: quia in sola, adhuc animæ æternis beatitudinibus perfruuntur. Binas autem in resurrectione accipientur sunt, quando cum animatum perfecto gaudio etiam corporis incorruptio, ne venientur. Hæc Ambrosius Ansbertus. Eodem modo hunc Apocalypses locum interpretatur beatus Gregorius, qui in expositione septem Psalmorum Penitentium exponens illud ex quarto Psalmo penitentiali: *Auditu meo dabis gaudium & letitiam, hæc quæ sequuntur, scribit: „ Sancti enim viri mundi gloriam mentis depectu calcantes, omnes in se mortales voluptates mortificavit, ut in Deo postmodum perenniter vivant: quoniam mundi miseriam pro Deo pati minime recusant, beatitudinis æternæ retributionem acquirunt: quæ nimirum beatitudo & animabus eorum ante resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus post iudicium conferetur: sicut in Apocalyp. Joannes Apol. scribit, cap. 6. dicens: *Vidi sub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo Domine sanctus & verax non vindicas sanguinem nostrum, de his qui sunt in terra? Et datae sunt eis singulae stola albae, & dictum est illis ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleatur numerus servorum & fratrum ipsorum, qui interfecit sunt, sicut & illi.* Quid namque est, singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid vero est, donec electorum numerus impleatur requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam expectare? In qua nimirum iterum singulas stolas albas accipient, quia immortalia & incorruptibilia corporum, suorum vestimenta resument. Hæc tamen Gregorius. Cuius verba tam aperte catholicam fidem expriment, ut nihil amplius possit desiderari. Eandem sententiam refert Beda, qui in commentariis super Apocalypsim præfata verba interpretans, sic ait: „ Singulas modo stolas*

habent animæ sanctorum, de sua beata immortalitate gaudentes: resurgentibus autem corporibus (iuxta Esaiam) in terra sua duplicia possidebunt. Hæc Beda. Ad eundem modum interpretatur Haymo & Richardus de Sancto Victore in Commentariis quæ ediderunt super Apocalypsim. Horum verba prudens omisi, ne prolixitate nimia gravarem lectorem. Præter hæc tam clara testimonia, hanc nostram & totius Ecclesie sententiam confirmat, quod contra iustitiam videtur esse differre per tot sæcula mercedem mercenario: propter quod in lege olim præceptum erat (*Levit. 19.*) *Non morabitur apud te opus mercenarii.* Omnes autem iusti quasi mercenarii sunt, in vinea Domini laborantes. Mercenarii, inquam, qui cum domino vineæ, hoc est, cum Deo Patre, ex denario diurno, clara scilicet Dei visione, conveniunt: & ex huius mercedis expectatione omnes suos labores, quamlibet duros, libenter tolerant. Cum ergo in morte omnes labores sic finiunt, ut jam non sit amplius ad meritorum cumulum laborandum: oportet ut illis animabus quæ jam purgatae sunt, statim merces suorum laborum, æterna scilicet beatitudo, tribuatur: alioquin iniustitia illis fiet, si illis desiderata laborantibus merces non statim daretur, nulla in illis existente causa, quæ obsec quo minus statim reddatur. Deinde peccatori agenti quod potest, Deus statim dat gratiam: ergo iusto usque ad mortem agenti quod potuit, Deus statim donabit gloriam. Accedit ad hæc, quod (iuxta Sapiens dictum *Prov. 3.*) *Spes quæ differit, affligit animam:* quo fiet, ut animæ quantumlibet sanctæ in speculatione futuræ beatitudinis suspensæ, sint in continua afflictione. At non est æquum, ut penam toleret, qui peccatum si quod commisit, jam digne purgavit. Præterea: peccatoris anima statim post mortem tolerat supplicium: ergo animæ iusti statim etiam post mortem habebit præmium: præsertim cum Deus citius ad misericordiam fleatur, quam ad vindictam, & propensius & libentius iustos afficiat præmio, quam peccatores poena. De poena peccatorum statim post illorum mortem semper infligita, testatur Job cap. 21. sic inquit: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* In puncto dixit, quia continuo post mortem sine ulla quiete descendant ad inferos, ut ibi dignas pro peccatis suis luan penas. Et illud est assertivissimum quod de divite illo epulone apud Lucam cap. 16. dicitur: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Si peccatoribus dignam statim infligit Deus poenam, non est verosimile ut iusti non statim debitum reddat præmium. Demum inter Ecclesiastica dogmata, quæ in libro de Ecclesiasticis dogmatibus numerantur, septuagesimum octavum ad hanc rem pertinens, sic ait: Post ascensionem domini ad caelos, omnium Sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integrum & perpetuum beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animæ in inferno sub timore positæ, expectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad poenam detrudantur æternam. Hæc ibi. Superest autem, ut adversariorum objectionibus respondeamus. Primum enim nobis objiciunt Paulum, qui in epistola ad Hebraeos, cap. 11. enumeratis pluribus sanctis, qui per fidem vicerunt regna, postea subdit: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt reprobationem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ex quibus verbis colligitur, nullam animam ante diem iudicii esse beatam, quousque omnes iusti simul beatificentur: quia dixit,

xit, quod non acceperunt reprimissionem. Fatemur enim illos non accepisse reprimissionem: quoniam resurrectio corporum, quam Deus sanctis suis reprimisit, adhuc differtur, ut simul omnes resurgamus, quatenus in communi gaudio omnium, majus fiat singulare, & ita expectent donec omnes resurgamus, Deo ita sapienter ordinante, ut non sine nobis consummarentur, hoc est, ut non sine nobis perciperent consummatam beatitudinem animæ & corporis. Et propter hoc non dixit, ut non sine nobis bearentur: sed dixit, ut non sine nobis consummarentur: quia licet sine nobis beatitudinem animæ sint consecuti, tamen perfectam & consummatam animæ & corporis beatitudinem non sine nobis assequuntur. Cum ergo sancti jam in anima beati, nos ad suam consummationem expectent, ardentius nostram cupiunt liberationem, & propter se, & propter nos: atque pro nobis interpellant, ut citius omnes à præsentis sæculi miseria liberemur. Ipsi enim plane norunt se non sine nobis consummandos: quoniam cum ipsi pro suorum corporum resurrectione, quam summe optant, preces supplicationesque ad Deum funderent, acceperunt divinam responsionem, (Apo. 6.) *Ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservedorum & fratrum eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.* Hanc igitur reprimissionem, quæ de corporis immortalitate data est, sancti nondum acceperunt, ut integram & perfectam beatitudinem sine nobis non haberent: alias tamen promissiones, quæ videlicet de animarum gloria datæ erant, jam acceperunt, quoniam jam Deum vident, jam adimpletæ sunt lætitia cum vultu Dei: in illo exultant, illo fruuntur. Alioqui sibi non confiteretur Paulus, quoniam paulo superius de eisdem sanctis loquens, dixerat: (Hebr. 11.) *Per fidem viserunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt reprimissiones.* Plures & variæ sunt dignitates, quas animæ juxta suorum meritorum varietatem jam receperunt: sed præter has omnes promissiones superest adhuc una de suorum corporum incorruptione: & de hac dicit, quod non acceperunt reprimissionem: & ob hanc causam donec hanc etiam reprimissionem accipiant, perfectam & consummatam non habent lætiam. Sanctis ergo suorum corporum resurrectionem desiderantibus, & à Deo petentibus tali modo respondet Deus, quo aliquis paterfamilias habens plures filios, singulisque de agro revertentibus, & rogantibus ut cibum sibi tribuat, respondet: *Cibus vobis omnibus jam paratus est, sed præstolamini fratres vestros, ut cum in unum possitis fueritis, omnes in commune comedatis, & epulemini gaudentes.* Secundo nobis objiciunt: illud ex prima Joannis epistola cap. 1. *Nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* At ante judicii diem non apparebit quid erimus: ergo ante illum diem non videbimus Deum sicuti est. Huic autem objectioni nos respondemus, quod licet Joannes dicat nos futuros esse similes Deo, & vituros illum cum apparuerit quid erimus, non tamen dicit nos non vituros illum antea quam appareat quid erimus: hoc tamen oportebat esse dictum, ut collectio argumenti esset bona: quod cum dictum non sit, dicimus malam esse illius syllogismi collectionem. Potest etiam aliter responderi, ut dicamus jam in animabus sanctorum apparuisse quid in illis futurum erat: quoniam jam habent hereditatem, ad quam adoptatæ erant: jam vident Deum, jam fruuntur illo. Nunc, inquit Joannes, *filii Dei sumus.* Filii inquam adoptivi, ad cœlestem gloriam adoptati: sed

nondum apparuit quid erimus, quia nondum manifestum est nobis id, ad quod adoptati sumus: nescimus quanta sit hereditas nobis servata: scimus autem, quoniam cum apparuerit hæc adoptio, cum revelata nobis fuerit hereditas, ad quam fueramus destinati, tunc videbimus Deum sicuti est. Nam ipsamet visio hereditas est, ad quam adoptati sumus. Quapropter fieri nequit, ut appareat id, quod nobis destinatum erat, quin Deum videamus. Sicut ergo dicimus, sanctorum animas ante diem judicii Deum videre: ita dicimus jam in illis apparuisse quid futuræ erant. Hæc sunt testimonia scripturæ, quæ adversariis in faciem favere videntur. Quum ergo tam parum moveant hæc scripturæ testimonia, & tam aperta sint quæ nos supra citavimus, & tantorum patrum auctoritate confirmata: oportet ut firmissime credamus, & nullatenus dubitemus, sanctorum animas, quæ ex hoc mundo purgatæ discedunt, aut post eam à suis corporibus separationem alibi purgatæ sunt, jam usque ad faciem Dei visionem pervenisse & æternam beatitudinem jam esse affectas. Sed ut huic negotio finem imponamus, opus est ut Ecclesiæ definitionem proferamus. Innocentius Papa hujus nominis tertius, vir præter pontificalem dignitatem omni veneratione dignus, respondens Episcopo Cremonensi, quaerenti de quodam presbytero non baptizato & jam defuncto, an potuit sine baptismo salvari, ita ait: „ Inquisitioni tuæ respondemus, presbyterum, quem sine unquam da baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia, in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter. “ Hæc Innocentius Papa: & ponuntur hæc verba in volumine epistolularum Decretalium, titulo De presbytero non baptizato, in capitulo quod incipit: Apostolicam. Post hanc Innocentii definitionem, Benedictus undecimus hujus nominis Pontifex, aliam multo uberiorem & expressiorem de hac re dedit definitionem: cujus verba, quia raro illa Decretalis invenitur, ad ultimum usque verbum hic inferam, & sunt quæ sequuntur: Benedictus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui sacrosanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam quam ut vineam plantavit dextera sua, quamque ut præcipuum in Ecclesiis omnium caput erexit ut victricem, dicente Domino ad Petrum: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: sua miseratione non deserit, sed per beatos Apostolos suos, accipue Petrum & Paulum singulares ejusdem Ecclesiæ defensores, pia benignitate & continua pietate custodit, quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis maneat fundata supra firmam Petram, omnesque christianæ fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub ejus disciplina & correctione consistant: non illis dogmatizetur improvidum, inferatur incautum, in fide temerarium ingeratur: sicque declinent homines à malo & faciant bonum, ambulent per vias rectas, & ad meliora per sancta desideria proficiantur, sperent justorum propinqua æternæ vitæ retributiones, timeant malorum inferni calamitates non remotas: nam scriptum est: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique juxta opera sua.* Quod si secus à quoquam fuerit attentatum id, protinus sua auctoritate, & pœnis etiam adjectis prout expedire viderit, profus evellat. Pro qua ut in seipsa subsistens alios informaret, passionis suæ tempore salvator noster Jesus Christus Patrem exoravit*

se perhibetur, dicens: *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut eribraret sicut triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sane dudum tempore felicis recordationis Joannis vigesimi secundi prædecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicæ facultatis magistros, super visione animarum justorum hominum post mortem tuam in quibus nihil erat purgabile cum de hoc sæculo decesserunt, vel si fuerat, jam purgatum fuerat ex toto, an divinam essentiam videant ante corporum suorum resurrectionem & judicium generale, & super nonnullis aliis orta materia quæstionis, ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii vero secundum suas imaginationes, de visione divinæ essentiae ab animabus hujusmodi, diversæ & diversimode ostendere nitebantur, prout ex dictis & scriptis ipsorum noscitur apparere: super reiectis suis vero concertationibus, quas hic causa breviter omittimus, quia ita ex nostris determinationibus inter se etiam decidebant. Cuiusmodi prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi separaret, in suo consistorio publico tam fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam prælatis & magistris in theologia, qui multi aderant præsentibus, injungendo districtius, & mandando, ut super materia de visione prædicta, quando requirentur ab eo, deliberate unumquodque diceret quod sentiret. Tamen morte præventus, sicut domino placuit, perficere illud nequivit. Defuncto itaque prædecessore præfato, nos divina dignatione ad apicem summi Apostolatus assumpti, diligentius attendentes quanta ex præmissis eorum concertationibus non solutis, animarum imminet pericula, quanta exinde possunt scandala suboriri: ut ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita prius super prædictis solita examinatione, & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio, hæc in perpetuum valitura constitutione, auctoritate apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante domini nostri Jesu Christi passionem decesserunt, necnon sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacramentum baptismi ab eis susceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel si tunc erit aliquid purgabile in eisdem, tamen post mortem suam purgabunt, atque animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum, & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resurrectionem suorum corporum, & judicium generale, post ascensionem Domini nostri Jesu Christi in cœlum, fuerunt, sunt, & erunt in cælo, cœlorum regno, & paradiso cœlesti, cum Christo sanctorum Angelorum consortio aggregatæ, ac post Christi Jesu passionem & mortem viderunt, & vident, & videbunt divinam essentiam immediate se bene, & clare, & aperte illis ostendentem: quodque sic videntes eadem divina essentia perfuerunt, necnon quod tali visione & fruitione eorum animæ, qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, & habent vitam æternam & requiem, & omnium illorum, qui postea decedent, cum eadem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfuerunt ante judicium generale, ad quod visio hujusmodi ejusque fructus

actum fidei & spei in eis evacuant, prout fides & spes proprie theologicæ sunt virtutes: quodque postquam incohata fuerit vel erit talis, intuitiva & facialis visio, & fruitio in eisdem, ejusdem visio & fruitio sine aliqua intermissione seu evacuatione prædictæ visionis & fruitionis continuata exister, & continuaabit usque ad finalem judicium, ex tunc usque in sempiternum. Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur: & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, redditori de factis propriis rationem, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Decernentes prædictas nostras definitiones seu determinationes, & ipsarum singulas ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps prædictarum nostrarum definitionum seu determinationum, ac singularum ipsarum contrarium scienter & pertinaciter tenere, conferre, prædicare, docere, aut defendere verbo vel scripto præsumpserit, contra eum sicut contra hæreticum modo debito procedatur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, &c. Datum Avinionæ quarto Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo. Hactenus Benedictus Papa. Sed ad majorem ejusdem rei confirmationem, proferam de eadem re universalis Ecclesiæ definitionem. Nam Concilium Florentinum sub Eugenio quarto celebratum, per hæc verba definit. Concilium Florentinum: Definimus illorum animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Dominum trinum & unum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectus: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Hæc Concilium Florentinum. Et quidem pro hac re satis me dixisse arbitror. Adversus hanc hæresim scriptis satis diffuse Guillelmus Ocham parte secunda Dialogorum, tractatu primo: & beatus Thomas in quodam opusculo quod inscribitur, Contra Græcos & Armenos, capite nono, adversus hanc hæresim pauca quædam adfert.

Septima hæresis asserit omnes beatos esse pares in gloria, neque ullam esse in cœlis præmiarum differentiam: quoniam nullam esse ait meritorum in hac vita disparitatem: sed omnes justos pares esse asserit in meritis & in præmiis: & omnes peccatores pares etiam esse dicit in peccatis, & in pœnis. Hujus erroris dux & magister fuit Jovinianus quidam Romanus, prius monachus, postea monachatu rejecto ad mundum, quem olim deseruerat, reversus. Fuit temporibus Damasi, & Siricii Papæ, sub Damaso monachus, sub Siricio monachatum rejiciens, hanc inter alias hæreses docuit. Nunc de diversitate meritorum & varia illorum retributione dicemus: quoniam de peccatorum differentia, infra in titulo De peccato, habendus est sermo. Meritorum & præmiarum varietatem apertissime convincit id quod dominus apud Joannem ait, cap. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Domum Patris dixit regnum cœlestis, cujus domus magnitudinem Propheta quidam admiratus dixit: (Baruc. 3.) *O Israel quam magna est domus tua, & ingens locus possessio-*

114
 sonis tuæ. Hæc est illa domus Jacob de qua Angelus ad virginem loquens, ait: (Luc. 1.) *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Nisi enim de domo illa cœlesti in æternum duratura loqueretur, verum esse non posset quod ait: *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Nam in eo quod æternum non est, ille æternum regnare non posset. Hanc ergo domum Jacob, in qua ipse in æternum regnabit, nunc domum patris sui appellat. Quod autem de hac domo in qua jam regnat, loquatur: & non de illa in qua per membra sua nunc militat, hoc est, Ecclesia ista inferiore, verba quæ sequuntur aperte declarant. *Si quis minus, inquit, (Joann. 14.) dixisset vobis, quia vado parare vobis locum: & si abiero: & paravero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Nullus dubitat locum quem præparare se dicit Christus Apostolis, in cœlo esse, in regno cœlorum: non in terra, in qua præsens, Apostolos relinquebat. Locus ergo ille quem se Apostolis paraturum dicit, ille idem domus est Patris, de quo ait: *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* Si ergo domus est regnum cœlorum, quid erit varietas mansionum, nisi varietas præmiorum quæ in illo regno habetur juxta varietatem meritorum? Propterea in prior epistola ad Corinthios cap. 15. Paulus ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur: unusquisque autem in suo ordine.* Si unusquisque in suo ordine resurget, diversa ergo erunt merita resurgentium: alioqui si unum est omnium resurgentium meritum, omnes in eodem ordine resurgent, & non unusquisque in suo. Et in eodem loco iterum Paulus ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Sed hunc locum Jovinianus, teste Hieronymo, ita interpretatus est, ut diceret stellam differre à stella, quia spirituales differunt à carnalibus. Carnales ergo juxta Joviniani interpretationem stellæ erunt, & in cœlestibus simul cum spiritualibus erunt. Absit tamen à fidelium cordibus hæc sententia. Non enim stellarum nomine Paulus totum genus humanum comprehendit, sed solos justos: quoniam peccatores ipsi tenebræ sunt: tantum abest ut aliis lucere possint. De solis ergo justis eum locutum fuisse constat, cum dixit: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ:* ut majores in claritate solis sint, & qui in frequenti gradu sunt, lunæ splendore rutilent. Ac rursum in alio loco: (2. Cor. 9.) *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vides hic varietatem metentium juxta varietatem seminantium. Seminantes autem hic dicuntur omnes bene operantes, juxta illud Prophætæ: (Psal. 135.) *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Bunties ibant & stebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et illud est manifestum quod Apostoli orantes, dicunt: (Luc. 17.) *Domine adauge nobis fidem.* Si una est omnium fidei mensura, quomodo orant Apostoli augeri suam fidem? Et Christus Salvator noster de Joanne Baptista testimonium ferens, (Matth. 11.) ait: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, sed qui minor est in cœlo, major est illo.* Audis in cœlo minorem, sed ubi minor est, necesse est esse majorem. Similiter de præceptorum suorum adimplentione & transgressione Christus loquens, ait: (Matth. 5.) *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Ubi autem magnus & minimus, oportet ut non omnes eadem

mensura metiantur. Eadem etiam differentiam maximi & minimi per Hieremiam Prophetam explicat cap. 31. dicens: *Bece dies veniunt, dicit Dominus, & seriam domum Israel & domum Jacob sœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum fratribus vestris.* Et paucis interjectis subdit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde scribam illam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non nocebit vir ultra proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum.* Ex quorum verborum contextu apertissime cognoscitur, Prophetam de futuro Christi in cœlis regno fuisse locutum: cum tamen de illo loquatur, ait: *Omnes cognoscent me à minimo usque ad maximum.* Si omnes sunt futuri æquales, quomodo ibi erunt maximus & minimus? Rursus, in posteriore ad Corinthios epist. cap. 5. Paulus ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Deinde per Elaiam Prophetam de enuchis dominus loquens, cap. 56. ait: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* In quibus verbis apertissime virginem præposuit conjugatis. Nam de illis solis enuchis loquitur, qui se castraverunt propter regnum cœlorum: quos illis qui in filiis generandis conjugalibus vitæ meritum servant, hic prætulit dicens: *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus.* Cum ergo ait, *Dabo eis nomen melius,* ostendit & conjugatis dari in domo sua locum bonum, sed multo inferiorem: & nomen bonum, sed minus quam virginibus. Sed ne quis forte carnalis existimaret ex hac promissione aliquid temporale sperandum, continuo subjicit, *nomen sempiternum dabo eis.* Verum quia hæreticus adhuc elabi poterat, dicens sempiternum hoc loco pro diuturno accipi, sicut ea quæ largissimæ sunt durationis, sempiterna aut æterna dicere solemus: ideo ut omnem rimulam hæretico obstrueret, addidit quod non peribit. Quid ergo amplius Jovinianus querit? Quid serenitati veritatis nebulas suæ perverfitatis offundit? Quid in tanta scripturarum luce nebulas unde infidetur inquirat? Sempiternum hoc nomen quod non peribit, quicquid illud est, gloriam certe quamdam excellentem significat, quæ propria spandibus Dei fore promittitur, nec cum aliis qui filios procreaverunt, erit communis. Non ergo omnes in illo regno pariter sunt meriti. Accedit ad hæc quod spiritus illi Angelici non omnes ejusdem sunt conditionis, neque omnes ejusdem sunt meriti. Nam ex his quidam dicuntur Angeli, alii Archangeli, alii Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, & Seraphim. At frustra esset tanta diversitas nominum, si nulla esset diversitas meritorum. Si hæc meritorum diversitas est in Angelis, cur non eadem reperietur in hominibus: præsertim cum justis hominibus Salvator promittat quod erunt sicut Angeli Dei? (Matth. 22.) Præterea diversitatem peccatorum juxta peccatorum diversitatem apertissime ostendit Salvator, dicens: (Luc. 1.) *Filius qui novit voluntatem Patris, & non fecit secundum illius voluntatem, vapulabit multis. Filius autem qui non novit voluntatem Patris, nec fecit secundum ejus voluntatem, vapulabit paucis.* Vides hic apertum discrimen non quidem justis & peccatoris, sed & peccatoris & peccatoris. Uterque enim peccator: quapropter uterque vapulabit, alter tamen altero durius: nam unus vapulabit paucis, quia levius peccavit: alter autem multis, eo quod gravius deliquit. Cum ergo alius alio gravius puniatur juxta peccatorum suorum varietatem: oportet ut alius etiam

etiam alio juxta meritorum suorum diversitatem majori præmio donetur. Sed jam superest ut videamus quid sit illud quo Jovinianus suam tuetur hæresim. Omnibus, inquit, in vinea Domini laborantibus æqua merces fuit data à justo Patrefamilias: unus quæque denarius. Quidam enim ex illis ab hora diei prima usque ad ultimam laborarunt, alii autem sola una hora fecerant: in mercedis autem receptione omnes pares sunt facti: quoniam omnes unum dumtaxat denarium receperunt. (Matth. 20.) Huic objectioni respondet beatus Augustinus in libro de sancta virginitate, capite viciesimo sexto, per hæc verba. „ Quid nūquæ denarius ille aliud significat, nisi quod omnes communiter habebunt? sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius merces omnium. Stella tamen à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diversa sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse, omnibus est commune syderibus? & tamen alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Si denarius ille pro sanitate corporum poneretur, nonne cum recte valeamus, omnibus membris communis est sanitas: & ipsa usque in morte permaneat, pariter & qualiter omnibus inest? Et tamen posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit, ut nec totum sit oculus, nec totum odoratus: & quicquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis æqualiter habeat cum omnibus sanitatem. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis æqualis, denarius omnibus attributus est: quia vero in ipsa vita æterna distincte te fulgebunt lumina meritorum, multe sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non vivet alius prolixius, in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarus. “ Hæc tunc Augustinus. Alia adhuc multa nobis objicit Jovinianus. Verum hæc tam frivola sunt, & tam parvi momenti, ut illa recensere pigeat, & illis responderè dedignemur. Si quis tamen ea scire desiderat, legat beati Hieronymi librum secundum adversus Jovinianum, quoniam eo loco ille omnes Joviniani nœnias irridet, & illis respondet. Sed jam opus est ut Ecclesiæ de hac re definitionem audiamus. Concilium Thelense auctoritate Syricii Papæ in Africa celebratum, sic ait: Agrestis enim ululatus est, nullam virginitatis gratiam nullam castitatis ordinem reservare, promiscue omnia velle confundere, diversorum graduum abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere: quasi Christo una sit palma quam tribuit, ac non plurimi abundant tituli præmiorum. Hæc Concilium Thelense. Eandem sententiam docet Concilium Florentinum sub Eugenio. 4. celebratum. Nam in illis verbis quæ ex Concilio Florentino ad consulationem proximæ præcedentis, hoc est, sextæ hæreses supra citavimus, postquam dixit sanctorum animas jam ante diem judicii clare Deum videre sicuti est, statim subjungit, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Et illos qui ad infernum descendunt, dicit penitus disparibus puniri. Adversus Jovinianum scriptus beatus Hieronymus duos libros: & in 2. adversus hanc hæresim disputat. Beatus Augustinus in libro de sancta virginitate adversus eundem errorem disputat. Alios non vidi.

A
 DE hac re fuit unus error Manichæorum dicens: nullo pacto licere gerere bellum: atque ob hanc causam (ut testatur Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74.) reprehendit Moysen, quod bella gesserit. Hunc errorem velut jam sepultum, ab inferis suscitavit hoc nostro ævo Joannes Oecolampadius: qui in hoc à Manichæis differt, quod Moysen belligerantem non reprehendunt: quoniam eo tempore Dei aut justus aut permissio licebat bellare. Nunc autem Christo (ut ait) bellum prohibente, jam non licet Christianis ullo pacto bellare. Eandem sententiam docet Cornelius Agrippa in lib. de vanitate scientiarum. Nam de scientia artis militaris differens, postea quam illam multis injuriis læcessivit, & scommatis affecit, hæc ait: Atque nihilominus laudavit eam divinus ille Plato, ipseque August. & Bernardus Catholici in Ecclesia doctores, hanc alicubi probaverunt, & Pontificia Decreta illam non improbant, licet Christus & Apostoli longe aliter sentiant. Tandem vel repugnare Christo non infimum in Ecclesia gradum obtinuit. Hæc Agrippa. In quibus verbis aperte docet Christum prohibuisse bellum. Contra Manichæorum sententiam qua reprehendunt Moysen bellantem, piget disputare: cum ex scripturæ testimonio pateat Moysen ex præcepto domini bellasse contra nationes barbaras & infideles. Aut ergo Deum etiam reprehendant, aut Moysi bellanti calumniari desinant. Si longiore de hac re disputationem optas, lege B. August. contra Faustum lib. 22. cap. 74. & per alia quatuor sequentia capita. De reliquo autem in quo Oecolampadius & Agrippa assentiunt Manichæis arcentibus homines ab omni bellorum genere, opus est ut diligenter inquiramus. Lucas enarrans Joannem in deserto prædicantem & baptizantem cap. 3. ait: *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniari faciat, & contenti estote stipendiis vestris.* Si autem bellum esset prois illicitum, respondere debuisset beatus Joannes: *Arma adjicite, malitiam istam deserite, neminem percutite, neminem vulnerate.* Cum autem nihil eorum dixerit, sed calumniam prohibuerit, & ut suis stipendiis contenti forent, præcepit: eo ipso visus est bellum approbare. Præterea cum Centurio Christo diceret (Matth. 8.) *Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii veni, & venit: & servo meo fac hoc, & facit.* Christus hæc audiens, fidem Centurionis laudavit: militiæ vero desertionem non imperavit: imperatorum autem si bellum nullo pacto liceret. Rursum, Herodianis quærentibus utrum liceret censum dari Cæsari, respondit Christus, (Matth. 22.) *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Hac autem de causa tributa redduntur, ut inde militi ad pacis conservationem necessario, stipendium solvatur. Sic enim ait Paulus (Rom. 13.) cum de obedientia principi præstanda dixerit: *Idcirco necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Idcirco enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Idcirco si nullo pacto bellare licet, sequeretur inde quod peccatorem sceleratum se à judice defendentem, ut ab eo non caperetur ad punitionem, si judex invadat ut capiat & puniat, male ager. Hoc autem fateri, esset nimis absurdum, & totius humani convictus destructivum, & sacris literis apertissime*